

WC
1053





We
1033

ORATIO PANEGYRICA
IN
AVGVSTVM CONNVBIVM
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
ERNESTI AVGVSTI
CONSTANTINI

DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE LANDGRAVII
THVRINGIAE MARCHIONIS MISNIAE PRINCIPALI
DIGNITATE COMITIS HENNEBERGIAE COMITIS
MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTAE
RAVENSTEINI CET

ET

SERENISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE
DOMINAE
ANNAE AMALIAE

DVCIS BRVNOVICENSIS ET LVNEVURGENSIS
CET

BRVNSVIGAE D' XVI MARTII A' R' S' MDCCLVI

RITE AVSPICATOQVE CELEBRATVM

PUBLICO NOMINE
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

OBSEQUENTISSIME DICTA

AB

IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO

P P O

HELMSTADI

LITERIS SCHNORRIANIS



CREATIO PARLYRICA

12

AVGVSTVM CONNIVIVM

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

FRANZESII AVGVSTI

CONSTANTINI

DUCIS SACCINIAE HILFOL- CIVIAE MONTANI
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS

SERENISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE

DOMINAE

ANNAE AMALIAE

DUCIS BRANCOVITIAE ET LITVORUM

BRANCOVITIAE ET LITVORUM
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS

PUBLICO NOMINE

ACADEMIAE VIVIANAE CAROLINAE

DECEGNERIUM DICTA

IO CHRISTIANO WERNSDORFIO

HERMANNI

HERMANNI





Etsi nunquam soleo hunc in locum dicendi causa adscendere, quin insigni aliqua trepidatione commouear, et uox mea in hominum celebritate et in magnis rebus parum uersata officium pietatis et gratulationis publicae haud digna ratione sustinere potest; nescio tamen, quo incredibili alacritatis sensu iam uideor accendi et agitari. Ipsa haec uestra, qua circumfundor, corona, cuius alias splendorem merito uereor, iam omni timore me leuare uidetur, quod in uestrum omnium ore et uultu hilaritatis, nescio quae, indicia deprehendo. Ipsi tam intentis in me oculis, tam defixi praesentis laetitiae cogitatione assistitis, ut me ad eiusdem celebrationem ultro prouocare, orationemque meam fauore uestro, quasi alis quibusdam, leuare et prouehere uideamini. Quodsi me haec tacita uestra pietas minus moueret, tum exciteret me certe publicae uox laetitiae, quae quacunque harum regionum tractus patet, omnium animos ciuium grato sensu impleuit, et in plausus gratulationesque resoluit. Hi enim, qui sibi patriaeque suae salutare esse putant, quicquid Principi et Domino suo euenire feliciter uident, nunc effusissimo gaudio efferuntur, quod Principem uident noua optatissimaque domus suae fortuna laetari

A 2

Nam

Nam quid optatius et laetabilius euenire potuisset uel ipsi Serenissimo Duci ac Domino nostro, uel nobis harum terrarum ciuibus, quam auspiciatissimum connubium, quod Serenissimus Saxoniae Dux, ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS cum Celsissima Principe ANNA AMALIA nuper iniit. Cuius felicissima coniunctione ut nihil illustrius ad fortunam et gloriam utriusque gentis est, sic ad laetitiam et congratulationes publicas nihil uberius efficaciusque cogitari potest. Et sane fortunam huius connubii accuratius contemplanti tanta se mihi ubertas gaudii, tanta laudandi praedicandique materia offert, ut, quid prius aut potius dicam, uix queam constituere. Hic se florentissimorum Principum amor offert, uirtutum nobilissimarum splendore excitatus: hic gaudium Optimi Patris patriae in fortuna generis sui altius efflorescente defixum: hic spes propaginis in antiquissima domo Saxonica, nouo praesidio firmata, me admonet: hic felicitas Saxonum connubio sui Principis communita me uocat: hic denique gloria utriusque Principalis domus, ex hoc connubio nouis incrementis auctior exurgens, mirifice me allicit, et incredibili iucunditate perfundit. Et quid laetius acceptiusque fuerit Duci nostro Clementissimo, quam in reliquo familiae suae splendore, et in ista cumulatissima domus suae felicitate optatissimum Soceri nomen nunc primum adipisci? Quid iucundius, quam filiam dare in matrimonium Principi florentissimo, e fortissima stirpe Ducum Saxoniorum progenito,

et

et naturae fortunaeque dotibus eminentissimo: Principi, qui gloriam maiorum suorum nunc solus sustinet, quod e genere suo solus superstes est, uirtutis auitae et fortunae paternae ex asse heres. Quid Serenissimae ANNAE AMALIAE laetabilius et gloriosius sit, quam se a Principe expeti, quem unum habet populus suus, in quo uota, spes suas et caritates omnes defigat, quem in oculis fert, et in mentibus sensibusque suis defixum tenet, a quo denique ipsa ametur mirum in modum: et expeti quidem in spem posteritatis desideratissimae, et munimentum domus, quae cum aeternitate digna sit, melius propagari, nisi sanguine a stirpe Guelfica ducto, haud posse uidebatur. Quis denique non admiretur et praedicet ornamenta generis, uirtutis aetatisque illustra, quibus excelsum hoc Par Coniugum, omnis memoriae electissimum, exsplendescit, flos ille iuuentutis Principalis ex eminentissimis Germaniae familiis delibatus, qui nunc pulcherrimo colligatus foedere in spem, solatium et praesidium sui populi laetissime efflorescit

Et egregium sane spectaculum hilaritatis exhibent Saxones, qui ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO parent. Diu est, quod hunc Principem ea aetate esse peroptarunt, qua terrarum suarum gubernacula capeissentem uiderent. In hunc enim omnium adhuc expectatio erecta, omnium uota fuerunt effusa, quod hoc quasi

B

uni-



unicum depositum a Diuo Parente sibi relatum intelligebant. Sed uix ad spectu recreati Principis hoc maxime adiiciunt uotis suis, ut, quo certius sibi diuturniusque gaudium sit, domus Principalis certis praesidiis fulciatur. Neque enim firmam satis possessionem amati Principis arbitrantur, nisi eundem perennaturum in posteris mansurumque secum praeuideant. Proinde omnia ciuium suorum uota explet, dum, principatum suum auspiciatus, Coniugem simul desideratissimam ostendit, Matrem patriae futuram, et munimentum domus Augustae. In hoc igitur coniugio, tanquam exortu gemini fideris benignissimi, omnium pietas mirifice laetatur, et desiderii suis duplici beneficio satisfactum uidet, cum in Principe suo oriente praesidium felicitatis praesentis, et in eius connubio spem et munimentum futurae agnoscunt, et bona, quae recepto Principe sibi restituta sunt, nunc demum propria sibi et perpetua futura existimant.

Quo maius uero spei suae firmamentum in connubio tam auspiciato intelligunt Saxones, hoc ardentius pro stabilitate eius omnes uota suscipiunt. Difficile uidetur, uim pietatis explicare, qua populus in Principem, quem ut unicum salutis suae columnen ueneratur, in ipso principatus eius auspicio commouetur. Venit in mentem recordari acclamationis publicae, qua olim Alexandrum Seuerum, imperio admotum, excipiebat Senatus

natus Romanus: *Dii te seruent: Dii te nobis dederunt: Dii te perpetuent.* Erat hic Imperator adolescente quidem aetate, sed matura uirtute, in quem, exhausta iam familia Imperatoria, fessa recumbebat respublica, sed in optimum emendatissimumque Principem inciderat. Igitur cum de uirtutibus Alexandri optimam quamque spem conciperent, perpetuum eius imperium, et nulla fortunae labe imminutum, publica uoce optabant: *Dii te perpetuent.* Videtur uero Alexander hanc publicae laetitiae et caritatis uocem tanto-pere amasse, ut numum excudi curaret, cuius hoc exemplum esset: PERPETUITATI AVGVSTAE. Qua uoce, meo quidem iudicio, felicitas exprimitur, quae maxima cadere in Principem potest. Habet enim significationem eius gloriae, qua Princeps dignitatem fastigii sui perpetuo tuetur, et imperium suum tum prouidentia et fortitudine, tum amore ciuium ita communitum habet, ut rebus ubique prosperis utatur, nec facile fortunae laeae faciat detrimentum. Quae felicitas cum consummata sit, si propagetur in posteris, fit inde, ut perpetuitas Principis non sola ipsius uita, sed posteritatis etiam uirtute et immortalis eius gloria contineatur. Etenim posteri uindices sunt maiorum suorum gloriae, et quae Princeps sibi monumenta famae parauit, ea non modo non imminui uel aboleri patiuntur, sed etiam tuentur summopere, et in maius augent. Igitur in posteris maxime uiuit Princeps, posteri efficiunt, ut perpetuitas Principis

cipis non exigua eius uiuacitate, sed immortalis gloria ipsaque aeternitate terminetur. Proinde magnum et excellens genus felicitatis est, Auditores, quod animo concipit Senatus Romanus, cum Alexandro Seuero perpetuitatem precatur. Neque uero alia, quam hac Romana uoce, commodius exprimere posse uideor uota publica, quibus auspicia imperii simul et coniugii principalis prosequuntur duo utrinque populi. Quid enim boni ciues Principi desideratissimo, imperium capeffenti, potius precari, quid eadem e coniugio auspiciatissimo augurari magis possint, quam perpetuitatem. Et accendit quidem pietatem Saxonum hoc maxime, quod in ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO unicum stirpis Principalis praesidium relictum uident, in quo et spes generis tam excelsi, et omnis patriae salus nitatur. Itaque hoc sanctius obseruant et complectuntur suum Principem, quo plures maioresque spes et fortunas in eo fitas esse intelligunt, uehementerque exoptant, ut, quicquid est paterni auitique decoris, quicquid est heroici sanguinis in eum deriuatum, illud non modo sustineat felicissime et tueatur, sed propaget etiam et ad seram posteritatem transmittat. Huic igitur rem publicam capeffenti, quid magis apprecentur, quam diuturnum felicemque principatum, quid potius acclament, quam *Deus te seruet!* Huic matrimonium felicissimum auspicianti, quid potius, quam perennitatem
 gene-

generis uouent, quid potius acclament,
quam *Deus te perpetuet!*

Huic pietati et effusae laetitiae Saxonum,
qui Serenissimo ERNESTO AVGVSTO
CONSTANTINO subiecti sunt, quidni
accedant aliae gentes, quidni nos in primis,
qui singulari pietate in partes eius laetitiae
rapimur. Nam quis omnino est, qui non
huic Principi ad gloriam maiorum exurgenti
felicitatem precetur omnibus numeris absolu-
tam, qui non perpetuitatem Celsissimae pro-
sapiae Saxo-Vinariensis summopere optanda
putet. Interest totius Germaniae, antiquissi-
mas Ducum Germanorum familias non inter-
cidere, sed potius continua posteritatis serie
quam longissime propagari. In his enim
praecipua imperii Germanici ornamenta et
praesidia sita sunt, et quo pluribus Principum
gentibus exsplendescit, hoc magis eius intel-
ligitur magnitudo. Scilicet Principes sunt,
qui salutem gloriamque Germaniae consilio
et uirtute fulciunt: Principes sunt, qui hosti-
bus imperii fortia obiiciunt pectora, qui me-
ritis et rebus gestis excellentissimis quantum
suae gloriae, tantum Germanicae adstruunt
maiestati. Nobilissimas quidem Principum
familias magno numero alit et fouet, qua late
patet, Germania, quibus tanquam totidem
fideribus largissime exsplendescit, et fieri ne-
quit, ut in tanto fortissimorum heroum pro-
uentu magnitudinem imperii necessaria defici-
ant praesidia. Sed in multis Principum fami-
liis,

liis, quas fastigii aequat dignitas, eae quodammodo eminere videntur, quae uetustate generis et gloria rerum gestarum a maioribus accepta illustrius nomen obtinuerunt. Ex his enim qui prodeunt Principes hoc praeclarius de patria merebuntur, quo pluribus maiorum suorum exemplis excitantur, et quo maiores uirtutis stimulos cum generoso sanguine in se transfuso acceperunt. Si qua igitur praesidia Germaniae a Celsissimis Principum familiis expectanda, certe ab earum antiquissimis longe maxima sunt. Est propterea earum perpetuitas, quae Germaniae summopere exoptanda sit, quod quae plurimis antiquissimisque in patriam meritis enituerunt, dignissimae uidentur, quae diutissime exsplendescant et Germaniae ornamento sint. Sed quis omnino est, qui e Celsissimis Germaniae familiis uetustate generis et rerum gestarum gloria aliquam anteferre audeat genti Saxonicae, e qua ortus est ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS. Quae adeo semper excellentium fortissimorumque Ducum ferax fuit, ut aliis gentibus exempla dederit, et nihil fere fuerit in Germania uel religionis uel securitatis et salutis causa pace belloque gestum, quo non Ducum Saxoniorum praeclara extiterit opera. Atque haec excellens et immortalis laus ut per omnes gentis Saxonicae domos sparsa quasi et disparata est, sic prolapiae praesertim Vinariensi adeo non deneganda, ut propria eius uideri possit. Quae gens tam inclita et excelsa cum iam in uno ERNESTO
AV-

AVGVSTO spiret, quis nostrum est, qui non summopere exoptet, ut domus aeternitate dignissima ex hac quasi noua stirpe feliciter succrescat et instauretur? quis est, qui non AVGVSTO CONSTANTINO perpetuitatem apprecetur

Et nos quidem hanc perpetuitatem Serenissimo Duci Saxoni hoc lubentius apprecamur, quo certius eam augurari et sperare posse uidemur. Etenim iam signum aliquod ad sperandam eam ipse sustulit, cum principatum suum felicissimo connubio cum Celsissima Principe Guelfica auspiciatus est, in quo optima perpetuitatis praesidia continentur. Quo fit, ut in summo publicoque gaudio, quo connubium ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI et ANNAE AMALIAE prosequimur, nullius nos rei cogitatio uehementius recreet, quam perpetuitatis Augustae. Itaque cum ad celebrandum connubii auspiciatissimi sollemne in splendidissimo hoc confessu partes dicendi mihi demandatae sint, ea in materia uersandam orationem censui, in quam animos uestros dudum conuersos existimabam, quaeque mihi hoc faciliorem factura audientiam uidebatur, quo magis consentanea laetitiae et pietati uestrae esset. Scilicet oratione mea explicare constitui *Perpetuitatis Saxonicae felix auspicium in connubio Brunswicensi*

Si in connubiis hominum uinculum societatis humanae, adeoque praecipuum reipublicae

cae praesidium, merito inesse iudicatur, dubitari nequit, quin e Principum coniugiis tanto plus utilitatis et commodi in genus humanum redundet, quanto magis salus publica horum fortuna et salute continetur. Quod propterea non uulgi modo, sed prudentiorum etiam, iudicio affirmatur, a coelo esse matrimonia hominum, eaque diuinis auspiciis necti et confirmari, id praecipue de Principum connubiis dici summo merito debet. Horum enim adiumento saepe imperium Principum confirmatum, et perennitas generis stabilita est, saepe salus populorum procurata, metus externorum hostium sublatus, bellorum flamma extincta, amicitia et concordia gentium restituta est. Sunt quidem, qui diuersas multo principalium priuatarumque nuptiarum rationes esse dicant, idque iis intercedere discriminis, ut in his contrahendis sola quidem animorum conspiratio, in illis uero plus ualeat necessitatis publicae et commodorum imperii respectus. Mihi uero connubium Principis hoc feliciter auspiciusque uidetur, quo magis accedit ad affectum matrimonii priuati, et quo plus habet amoris puri et sinceri, in quo naturale omnis coniugii uinculum est. Eadem enim est ratio coniugii Principum, quae priuatorum, atque hoc tantum inter utrumque interesse uoluit summus rerum arbiter, ut priuati coniugii utilitas re domestica et familiari contineretur, Principum uero maneret latius, et in rei publicae usus uerteret. Quemadmodum uero priuati matrimonii felicitas a sincera animo-

animorum consociatione, tanquam ex fonte, proficiscitur, et ne aliarum quidem rerum, quae coniugio expetuntur, firma fatis et iucunda possessio est, nisi ab illa praesidium uitae et condimentum petatur, ita et Principum fortuna minus sincera esse uidetur, si domi careat ea felicitate, quae e coniugii suauitate et concordia repetenda est. Sic enim persuasum habeo, Auditores, magnum fortunae Principis momentum re eius familiari et uita domestica contineri, atque eam etiam dignitatem, quam foris habet et publice, multum inde capere uel praesidii uel detrimenti. Nihil enim secretum priuatumque habet Princeps, sed ea etiam, quae domi et secreto penitralis sui agit, foras emanant et rem publicam attingunt. Itaque e coniugio Principis felici, dubitari nequit, quin praesidia ad salutem publicam, et gloriam, quae foris acquiritur, melius tuendam omnino multa proficiscantur. Sed ut matrimonii felicitas concordiae uinculo, sic concordia mutua uirtutum consensione firmatur. Quae ubi connubio Principis, tanquam in foedus, coaluerunt, tum ad fortunam Principis et felicitatem populi muniendam maxima uberrimaeque afferre possunt emolumenta. Sic igitur existimo, connubium, quod amica praestantium uirtutum copula colligatum diuinaque concordia munitum est, merito beatum auspicatumque haberi, et ad omne excelsae felicitatis genus, ad gloriam Principum, ad perennitatem generis, ad salutem populorum, uerbo, ad perpetuitatem Principum usquequaque comparatum esse

D

In-

Intelligitis sine dubio, Auditores, quas maxime laetandi gratulandique causas nobis obiciat felicissimum ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI et ANNAE AMALIAE connubium. Hic Princeps ad fastigium et gloriam maiorum suorum exurgens, adolescente aetate et in ipsis principatus sui primordiis sanctissimo matrimonio animum obligandum putat, similis Constantino illi, cui res gestae nomen Magni dederunt, de quo orator Treuerensis, nuptias eius oratione profectus, praedicat, eum primo ingressu adolescentiae illico matrimonii legibus se tradidisse, animumque formasse maritalem. Videt enim Serenissimus Dux, ad stabiliendam fortunam Principis nobilissimum adiuventum esse felix matrimonium: uidet, societatem maritalem, cum ipsos Principes munit concordiae uinculo, sic magnum esse praesidium ad felicem eorum perpetuitatem. Nihil igitur prius habet, quam eo munimento se et domum suam fulcire, et principatum suum sancito feliciter connubio auspicatur. Sed ut permagni interest ad perpetuitatem Principis, quam et qualem is consortem uitae et imperii nanciscatur, sic Celsissimus ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS sapientissimo consilio fociam e Serenissima domo Guelfica petit, seque et fortunas suas committit ANNAE AMALIAE, Principi uirtutibus consummatissimae. Quo connubio nullum auspicatus, nullum ad perpetuitatem Saxoniam certius inueniatur. Ea dudum gloria et existimatione

uir.

uirtutis floruit Serenissima domus Guelfica, ut multi passim Reges et Principes eius affinitatem ambirent, quasi ex hac domo uera principalis fastigii ornamenta et dignissimae imperio Principes sumerentur. Et quae unquam gens alia iis uirtutibus, quae Principes decent, et populis regendis aptae sunt, magis enituit? quae alia maioribus sapientiae, magnitudinis animi, et clementiae decoribus inclaruit? quae denique splendore generis et maiorum suorum gloria magis illustrata est? Ex hac igitur domo sibi Coniugem pactus est Serenissimus Dux Saxo, qua meliorem ex alia accipere non poterat. Quae cum et auitorum decorum exemplis, et ductu maxime Augusti Patris sui, CAROLI, sub faustis penetralibus ad omnes principalis fastigii uirtutes formata et enutrita sit, singulare nunc decus et ornamentum affert ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO. Et hic quidem sic amplectitur uirtutes ANNAE AMALIAE, sic in eius decoribus acquiescit, ut in eius societate uitam sibi iucundam putet, et constanti sinceraque uoluptate perfruatur. Habebit ille in eius fide et sapientia certum imperii sui praesidium, habebit in eius uirtute perugium in aduersis, in secundis decus. Haec uero uti omni suauitate animum Celsissimi sui Coniugis deuinciet domi, sic comitate uoluntates ciuium conciliabit foris. Fortunatum igitur ERNESTVM AVGVSTVM CONSTANTINVM, cui ANNA AMALIA, uti Plotina Traiano, in decus

cedet et gloriam: Fortunatam ANNAM AMALIAM, quae e fortuna Celsissimi Mariti sui diuturnam stabilemque uoluptatem capiet. Florentissimum efficiet hoc Par Coniugum sacra Concordia, mutua uirtutum excellentissimarum conspiratione firmata. Haec admirationi et exemplo erit ciuibus, ut in amorem suorum Principum sic conspirent, ut illos sentiant in suam salutem conspirare. Haec firmissimo munimento ambo circumdabit, ut in omni fortuna securi et stabiles suis ipsi perpetuo praesidiis innitantur. Haec denique in omnem populum dispensabit animi securitatem, securitas pacem, pax abundantiam, ex qua, tanquam in fontem suum reuertens, in ipsos Principes redundabit gloria imperii, et beata tranquillitas. Sic iis nihil deerit ad Principalis stabilitatem fortunae, sic nihil ad perpetuitatem. O fortunatam admirabilemque uitam, quam Optimis Principibus sanctissima Concordia et sociata uirtus indulgebit. Talem, credo, uitam poetae dixerunt beatorum animas in campis Elysiis ducere: tali felicitate Deos olim induerunt Philosophi, quos in suis intermundiis securum et ab omni molestia uacuum agere aeuum crediderunt. Certe ut Deos suos aeternos esse dixerunt propterea, quod perpetua doloris uacuitate et consummatae prosperitatis perfectione uterentur, sic Serenissimo Duci Saxoni et ANNAE AMALIAE inter Deos, terrarum dominos, felici concordia, contendo, perpetuitatem quaesitam esse. Haec enim est uera perpetuitas Principis,

pis, si aequabili fortunae tenore utatur, et in omni eius mobilitate parata aduersus rerum aduersarum uim praesidia habeat, ita ut de antiquo gradu non dimoueatur, fastigiumque suum cum dignitate quadam et gloria perpetuo retineat et tueatur. Quod cum mihi apud animum accuratius propono, tum mihi uerum exploratumque uidetur illud, quod hac oratione proposueram, perpetuitatis Saxonicae felix esse auspiciam in connubio Brunswicensi

Sic ERNESTVM AVGVSTVM amor ANNAE AMALIAE felicem reddit domi. Sed non minora sunt huius connubii emolumenta, quae fortunam eius fulciant foris. Est quidem fortuna Principis in ipsa eius magnitudine fundata, neque facile conuelli potest aut destrui, si uirtute sapientiaque sua utatur, in qua maximum perpetuitatis eius fundamentum est; sed tamen dubitari nequit, quin, cum uices suas patiat, etiam celsissima fortuna, magna ex parte sustineri amplificarique aliorum Principum ope et fauore possit. Nam quemadmodum hominibus ceteris, sic Principibus quaedam intercedit societas, qua efficitur, ut ad augendam Principis dignitatem multum conferre possint aliorum studia. Non omnia, quae amplificare Principis fortunam possint, in eius potestate sita sunt: multa exspectanda sunt a studio et officiis aliorum, quae impetrare nequeat Princeps, nisi uoluntates eorum sibi habeat deuinctas. Sed nulla firmior esse solet neque uoluntatum copula,
 E neque

neque officiorum societas, quam quae a communione sanguinis et generis propinquitate est. Quod si hoc quisque fortunatior esse solet, quo plures sibi fauentes deuinctosque habet, certe ad consummandam Principis fortunam facit quam maxime, plurimis Celsissimisque familiis affinitatis uinculo innecti. Quam quidem felicitatem Serenissimus Dux Saxo connubio Guelfico sic affecutus est, ut alio melius assequi uix potuerit. Quae enim Augusta domo Guelfica florentior, non dicam per Germaniam, sed omnino per Europam est? Quae gentilitatis suae propagines per multos adeo populos diffudit, ut eius sanguine multorum Regum Principumque familiae felicissime secundentur, multarum terrarum imperia fulciantur. Quibus cum adiungitur ERNESTVS AVGVSTVS, quis neget, in necessitudine et amicitia tot maximorum potentissimorumque Principum ualida ei fortunae praesidia nasci. Multos quidem iam necessarios et amicos habet in numerosa gente Saxonica, quae eminenti floret dignitate, sed hoc beatior est Serenissimus Dux, quod numerosae necessitudinis splendori tot eminentissimas gentis Guelficae affinitates adiungit. Apud ueteres Germanos, Tacitus memorat, tantum fuisse magnis familiis et cognationibus honorem habitum, ut principes eorum hoc gratiosiores essent, quo maiore propinquorum et affinium numero stiparentur. Talis existimatio procul dubio etiamnum hodie debetur magnis Principum cognationibus, quae iis digni-

dignitatem aut conciliant aut conseruant. Magnum enim Principis munimentum, ut apud ciues charitas, sic apud aequales et socios existimatio est et reuerentia, qua efficitur, ut plurimi eius inferuire commodis uelint, alii ne audeant officere. Quam quousque retinere et tueri studet Princeps, in optimo statu perseverat, neque facile fortunae suae detrimentum capit. Quo fit, ut quemadmodum amicitiae Principum iis dignitatem conciliant, sic eorundem muniant perpetuitatem. Etenim perpetuitas Principis est continua dignitatis retentio, et fortunae usus incorruptae. Quapropter sic mihi persuasum habeo, Auditores, cum Serenissimus Dux ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS felicissimo ANNAE AMALIAE connubio cum florentissimis potentissimisque familiis copulatus fit, multa eum simul perpetuitatis suae praesidia sibi acquisisse

Possẽm equidem plura uberrimaque commoda Altissimi huius connubii copiosius memorare, et multifariae felicitatis augurio publicam iuuare laetitiam. Nam ubi de futura perpetuitate loquor, bona intelligo et commoda plurium generum, ad quae speranda quasi signum aliquod sustulit haec nuptiarum pactio. Sed quamquam multa sunt prospera et secunda, quae excelsum hoc connubium circumstant, ea tamen praecipue me tenet et in se conuertit felicitas, quae propria huius connubii esse uidetur, uotaque omnium et gra-

tulationes excitat. Loquor eam perpetuitatem Principis, qua non solum indeminuta perdurat fortuna eius, sed etiam ad posteros transmittitur, et aeternitas conciliatur. Nihil tantopere expetendum Principi uidetur, quam aeternitas nominis. Videmus enim ceteris etiam hominibus eam a natura insitam esse perennandi cupiditatem, ut nihil studeant magis, quam memoriam sui quam longissimam efficere. Iam Principibus, quos sublimi gradu supra alios homines fortuna extulit, in tanta rerum omnium affluentia, et in tam excelso dignitatis fastigio, nihil tam deesse uidetur, quam earum rerum perpetuitas, nihil magnitudini eorum magis derogare, quam tristis mortalitatis conditio. Propterea Imperatores olim Romanos legimus nomina Aeterni et Perpetui ambitiose quaesisse, ut scilicet asciti nominis obtentu possidere uiderentur, quod maxime deesse maiestati suae sentiebant. Itaque, quod unicum mortalitatis hominum solatium a natura datum est, id maxime uicem aeternitatis a Principe quaesitae sustinet, subolis successio et generis perennitas. Habet quidem bonus Princeps, qua uitam maxime extendat, gloriam uirtutis et rerum gestarum, neque fieri potest, si populum suum bene rexerit, si multis auxerit commodis et beneficiis, quin memoria eius sancta habeatur et diutissime perseueret. Efficit magnitudo operum et meritorum, quorum facultas Principibus prae aliis hominibus concessa multo maxima est, ut aliorum quidem hominum memoria abo-

aboleri mature, Principis interire cito non possit. Sed quataquaque famae monumenta sunt, quae non aut mortalitas Principis intercipiat, aut ingrata obliuio supprimat, aut inuidia obscuret. Exigua profecto est, Auditores, et arctis finibus circumscribitur gloria Principis, nisi uindices eius adsint, paternae uirtutis heredes. Hi, ut maioribus suis se dignos praestent, uestigia eorum persequuntur, aemulantur gesta, uirtutes factis expriment, famam tuentur, et labentem quasi resuscitant, extinctam spiritu, uita, imo perennitate donant. Et quantum illud est, habere in posteris suis uiuas spirantesque imagines uirtutis suae, habere perpetua imperii fulcra, atque in iis uirtutem suam, dignitatem potestatemque cum sanguine ad fera saecula propagari. Quantum illud, haberi auctorem illustris prosapiae, et populis, non interrupta successionis serie, bonos Principes dedisse. Quid Tibi, Serenissime CAROLE, Decus et praesidium nostrum, (patere enim, ut exemplo Tuo utar, et tanquam praesentem alloquar,) quid, inquam, Tibi ad immortalem nominis gloriam deesse poterit praesidii. Qui cum nos ciues Tuos tot tantisque beneficiis cumules, tot bonis legibus et institutis ornes, et salutis publicae ubique rationem habeas, quae unquam tam surda esse poterit hominum memoria, quae tam ingrata posteritas, quin Te in coelum laudibus ferat, et merita Tua etiam feris saeculis commemoret. Sed in tot decoribus et ornamentis Tuis quodnam maius habes certiusque

F

per-

perpetuitatis Tuae praesidium, quam illam numerosam splendidissimamque subolem, qua latus Tuum, tanquam firmissimo gloriae Tuae munimento, circumdedisti. Hanc Tuam progeniem, quam ipse ad exemplum Tuum, ad excellentiam fortunam, et ad spem futuri saeculi conformasti, quoties intueris, toties in illa expressam uirtutum Tuarum imaginem conspicias, et non solum generis Tui, sed etiam gloriae propaginem intelligis, in qua aeternum uiuas et celebreris. Habes igitur in progenie Tua, quasi totidem pignoribus Tuae gloriae, iam paratam immortalitatem, certusque posteritatis cum Tua gloria uiuis. Longe, precor, absit illa dies, et aetati nostrae ignoretur, quae Te rebus humanis exemptum aliquando coelo transcribat. Sed quandocumque illa, serissima tamen, ueniet, quid omnino rerum Tuarum interuertere aut eripere Tibi poterit mortalitas? Te enim et praeclara Tua opera restituent et tuebuntur Tui posterii. In his uiues, in his perennabis, in his duplex Te manebit gloria, et quod praeclara egeris, et quod educaueris, qui facta Tua amplificent. Itaque, ut in ordinem me recipiam, posterii ueram perpetuitatem conciliant Principi, qui, etiam si decesserit, uideri extinctus haud potest, quod in sanguine suo imperat, et in ultima posteritate superstes agit. Propter ea ad consummandam Principis fortunam nihil tam uidetur optabile, quam spes posteritatis et successor perpetuus. Sed si quis alius, certe Serenissimus ERNESTVS AGVSTVS CONSTANTINVS dignus perpetui-

petuitate Princeps est, qui sensu uirtutis maiorum suorum excitatus exemplum dabit aeternitate dignum. Quid Celsissima Ducum Saxoniorum gente aut generis antiquitate nobilior, aut rerum pace belloque gestarum magnitudine illustrius est. Quae prosapia Varnariensi dignior aeternitate familia uideatur, quae a prima inde stirpe sua perpetua successionis serie demissa reliquis ex se stirpem dedit familiis, quibus nunc domus Saxonica gentis Ernestinae exsplendescit. Atqui haec Celsissimae gentis propago in ERNESTVM AVGVSTVM CONSTANTINVM deuoluta est, in quo uno praesidium tantae gentis recumbit, et spes omnis posteritatis sita est. Quid igitur huic Principi adolescenti perpetuitate sit desideratius? quid ei exoptandum uideatur magis, quam ut nouis pluribusque firmamentis domus Principalis fulciatur, et firma instaurentur praesidia successionis. Hoc enim ipsi immortalitatem afferet, et efficiet, ut princeps noui generis audiat, et in fera posteritate superstes agat, domui uero Illustrissimae stabilitatem perennitatemque dedisse praedicetur. Ea uero felicitas stat quidem arbitrio summi rerum moderatoris, cuius nutu ipsa terrarum stant imperia. Sed augurium et spem non tenuem perpetuitatis Serenissimi Ducis Saxonis, quam eius connubium cum Celsissima Principe Guelfica affert, non dubito, quin uideatis, Auditores. Nam si fecunditate generis Guelfici iudicandum est, eam in opinionem adducimur, ut credamus, maiora ubertatis

tis praesidia ad stabilitatem domus Saxonicae uix alio e coniugio expectanda fuisse. Scilicet ea fertilitatis laude, ea numerosae subolis gloria et olim floruit, et nunc maxime floret Serenissima domus Guelfica, ut nullus orbitatis metus, nullum deficientis successiois periculum sit. Ea porro subolis suae uirtute et excelsa indole gloriatur, ut eam orbi terrarum in exemplum floris domestici repraesentare possit, et gloria domus Guelficae haud alia re magis duratura ad aeternitatem sit, quam quod tot munimentis et praesidiis nititur, quibus ea propagari non minus, quam afferi et amplificari queat. Huius igitur familiae felicitatis et excelsae filia, ANNA AMALIA, quid non promittere uideatur similis ubertatis, quam propterea non spem afferat stabiliendae successiois et firmandae perpetuitatis Saxonicae. Atque nos quidem auspiciam tam felicitatis connubii tantopere recreat, ut faustissima quaeque cogitatione praecipiamus, et domum Saxonicae noua progenie efflorescentem iam oculis cernere uideamur. Neque uero dubitamus, quin spes nostra rata futura sit, quod non sine nutu et numine diuino euenisse arbitramur, ut hae Principum gentes copularentur, quarum altera perpetuitate dignissima, altera eam optime stabilire posse uidebatur

Porro uero, Auditores, si perpetuitas Principum in eo maxime uersatur, ut gloria, imperio et rebus gestis quaesita, in posteris uiuat et ad omnes aetates propageatur, intelligi-

tis

tis profecto, eam non solum posterorum numero censi, sed etiam uirtute. Neque enim gloria Principis in posteris perennare potest, nisi hi maiorum suorum quam simillimi sint, et paternae auitaeque laudis monumenta ita tueantur, ut sua faciant, et nouis decoribus amplificent, suumque adeo genus nouo rerum praeclarissimarum splendore illustrent. Si degeneres sint posteriet ab auita laude desciscant, forsitan expediret Principi, posteros non habuisse. Hi enim deuolutam in se maiorum gloriam imminuunt et obscurant, tantum abest, ut tueantur et amplificent. Caesar Augustus, cum olim prole mascula deficiente, Caium et Lucium nepotes, et mox Tiberium priuignum adoptaret, ab hoc uero Caesarem Germanicum stirpi suae inferendum iuberet, quid aliud spectabat, quam stabiliendam gloriae suae perpetuitatem? Sed fortunam eius tantum non afflixit praematura nepotum mors, quantum Tiberii successoris diritas, et reliqua familiae probra, quibus effectum est, ut obscuratus tanti Principis splendor domestica generis sui infamia uideretur. Vespasianus Imperator nullum maius gloriae suae praesidium optare poterat, quam cum, princeps ipse bonus, filium haberet optimum, illud delictum generis humani. Sed quantam ei labem intulit alter eius heres et successor Domitianus. Qui feritate et atrocita prioribus adeo dissimilis effecit, ut, quod duo Flauii genti suae decus intulerant, id ille omne abstulisse et proculcasse uideretur. Permultum igitur refert ad perpetuitatem Prin-

bius

G

cipis,

cipis, eam habere posteritatem, quae uirtutum maiorum suorum sit aemula, et uitae gloriae uindex. Iam quaeso oculos conuertite, Auditores, ad felicissimum connubium Ducis Saxonis et Principis Guelficae, et uideate, quam felix inde auspiciū fiat perpetuitatis Saxonicae. Nam si ad ingenerandam uirtutem plurimum ualet communicatio sanguinis generosi, certe melioris spes posteritatis aliunde capi haud potuit, quam ex illustrissimo genere Brunswicensi. Multae quidem per Germaniam florent Principum familiae, excelsi fastigii, et uirtutis splendore eminentissimae, sed quae omnino claritudine famae et rerum gestarum gloria Guelficae Saxonicaeque genti praeferenda uideatur? Quae omnino maiores pace belloque heroas dedit, quae plures religionis et libertatis Germanicae uindices? Longum nimis foret, omnia utriusque gentis enumerare fidera. Quot enim in utraque domo extiterunt Principes, tot fere omnis principalis decoris exempla se offerunt, quae omnia tam manifesta et illustria, tam annalibus et fama temporum celebrata sunt, ut obscurari magis oratione exigua, quam digne praedicari possint. Sed quis ueterum temporum res gestas paullo memoria repetens non confiteatur, Celsissimas gentes, Saxonicae et Guelficae, sic inter Principes Germaniae eminuisse ambas, sic in ornanda generis sui dignitate conspirasse, ut quaedam iis intercedere uideretur quasi meritum et gloriae societas. Iam in tam antiqua constantique utriusque domus claritudine,

quid

quid ad perpetuitatem eius conuenientius sit noua coniunctione sanguinis tam generosi, quid ad gloriam domus Saxonicae in posteris continuandam auspicius, quam connubium Brunsvicense. Secundet modo Deus uota populorum, et auspicius, quod ipse dedit, propitius confirmet, et Serenissimo ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO coniugium Serenissimae ANNAE AMALIAE uberrimum erit ad gentis suae gloriam et stabilitatem. Et iam praeuideo, hoc futurum esse Par Coniugum, quod fundamenta sternat nouae et exoptatae posteritatis, quod sanguinis Saxonici aequae ac Guelfici uirtutes in nepotes suos transfundat, quod populo suo optimos Principes, fortissimos heroes Germaniae det, semperque audiat felicissimae stirpis propaginis factis omnibus memoranda

Si ueterum temporum memoriam repetere uolueritis, Auditores, uaria se offerent connubia inter Saxones et Guelfos feliciter iuncta, e quorum antecessione coniectare de felicitate praesentis liceat. Neque enim facile negari queat, quae priscis temporibus factae sunt gentis Saxonicae et Guelficae confociationes, in tot eminentissimorum Principum connubiis, uariarum utilitatum prouentu uberes felicesque fuisse, et profecta inde esse praesidia ad perpetuitatem et incrementum utriusque gentis haud exigua. Quantum illud praesertim perpetuitatis argumentum est, quod Serenissimae gentes, Guelfica et Saxonica, quales quan-

taeque hodiernum florent, mutuis ex utraque domo coniugiis fundatae, atque inde ab ea stirpe usquequaque diffusae, et propagine non interrupta ad hanc aetatem et ad hunc florem perductae sunt, ita ut Saxonicae domus uniuersae mater Guelfica, et Guelficae uero Saxonica mater esset. Intellego CATHARINAM Guelficam, et MARGARETAM Saxoniam. Illa HENRICO prognata, MAGNI TORQVATI neptis, heroici animi femina, nupta est FRIDERICO Saxoni, cui inuictum animi robur nomen Bellicosi dedit, et sex liberorum mater per filium suum FRIDERICVM Placidum omnium, quotquot hodie florent, Ducum Saxoniorum, Ernestinae Albertinaeque gentis, parens facta est. Haec uero, MARGARETA, Catharinae proneptis, ERNESTI Saxoniae Septemuiri filia, e matrimonio HENRICI Iunioris, Luneburgici, filium habuit ERNESTVM, a cuius stirpe deducta est uniuersa domus Guelfica, Luneburgicae et Brunswicensis prosapiae. Tantum igitur perpetuitatis habuerunt ambae domus Serenissimae e mutua nuptiarum copulatione, quae postea etiam communionem stirpis et sanguinis sic conseruandam putarunt, ut pluribus inuicem matrimoniis ad sui generis stabilitatem necerentur. Fuerunt maxime Duces Saxoniae, a quibus genus ducit ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS, amantissimi sanguinis Guelfici, et matrimonia cum Principibus huius florentissimae gentis plurima iniierunt, in quibus optima quaeque commoda tum ad

ad incrementum generis et Principalis fortunae, tum ad suauitatem uitae insignia repererunt. Splendet inter maiorum Serenissimi Ducis Saxonis imagines CATHARINA, PHILIPPO genita, et iuncta IOANNI ERNESTO, IOANNIS Constantis filio: splendet MARGARETA, a GVILIELMO Iuniore, Luneburgico, orta, et sociata IOANNI CASIMIRO, Duci Saxoni Coburgensi, huius coniugium exquisitissimis ornauit uirtutibus. Succedit his ELISABETA, quae genus ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI quo propius attingit, hoc magis ornat, filia fulgentissimi Principis, quem inter conditores tutoresque suos colit haec Academia, HENRICI IVLII. Haec duplici connubio Saxonico felix primum AVGVSTO, fratri IO- GEORGII I Septemuiri, iuncta, mox in matrimonium transiit IOANNIS PHILIPPI, Altenburgici, et quod alia in felicitate coniugii deerat numerosae prolis, fecunditate unice filiae pensauit, ELISABETAE SOPHIAE, quae torum ERNESTI, Ducis Saxo-Gothani, ea beauit generis ubertate, ut octo et decem liberorum mater stirpem suam in plurimas diffunderet familias. Ex his ipsis duo extiterunt ELISABETAE SOPHIAE filii, ALBERTVS scilicet et BERNHARDVS, alter Coburgensis, alter Meinungenfis familiae princeps, qui exemplo aui materni, IOANNIS PHILIPPI, coniuge Guelfica genus suum fulciendum putarent. Nam AL-
H BER-

BERTVS in matrimonio habuit AVGVSTI, incomparabilis Principis, filiam, MARIAM ELISABETAM, quae prioribus nuptiis ADOLPHO GVILIELMO, Duci Saxoniae, iuncta fuerat, felicitate uteri mater, nisi spem uberrimae propaginis cita liberorum mors abstulisset. Alter BERNHARDVS filiam ANTONII VLRICI, Ducis Brunouicensis et Luneburgensis, duxit uxorem, ELISABETAM ELEANORAM, quae domum suam ea subole fecundavit, qua etiamnum hodie sustinetur. Quis denique nostrum est, Auditores, qui non laeto adhuc animo uoluat et contempletur faustissimum connubium, quod paucis abhinc annis cum ERNESTO FRIDERICO, Saxoniae Duce, et ditionis Salfeldensis Principe herede, iniit Serenissima Princeps SOPHIA ANTONETTA, nata Principe immortalis memoriae, FERDINANDO ALBERTO. Quod connubium uti castissimo amore sancitum est, ita omnis boni coniugalis ubertate abundat, et in succrescente subole iam exoptatissima generi firmamenta dedit. His igitur exemplis connubiorum tam auspiciatis, quae excellentia ad perpetuitatem domus Saxonicae et ad fortunam eminentissimorum Principum praesidia dederunt, iam excitatur Serenissimus ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS, ut Coniuge Guelfica domum et fortunam suam stabilire percipiat. Et quemadmodum Serenissimi CAROLI, Domini nostri Clementissimi, germanitate tot populorum spes, tot excellentissimas Principum domos bene fultas uidet,

et


et in Celsissima Sorore eius ipsius domus Saxonicae ornamentum dudum fulgere intelligit, sic in Filia eius, uirtutum Principalium decoribus illustrissima, spem uberrimam splendoris et perpetuitatis suae collocat. Quantamcunque enim e coniunctione domus Guelficae expectare potuit fortunae splendorisque accessionem, certe ei promittit ANNAE AMALIAE connubium, quae non solum natiuis generis sui dotibus exsplendescit, sed et sanctissimis institutis et auspiciis Serenissimi Patris sui ad eminentis fastigii dignitatem sic educata formataque est, ut eius connubio nihil ad decora domus Saxonicae ad posteritatem propaganda defuturum sit, spesque maxima iniiciatur tuendae perpetuitatis

Succede igitur feliciter, ANNA AMALIA, exemplis tot Serenissimarum e gente Tua Principum, quae connubiis auspicatissimis decus et splendorem domui Saxonicae intulerunt. Succede uotis et desideriiis Saxonum, qui in Te salutis suae firmamentum expectant, et auspicia perpetuitatis, quae connubium Tuum circumstant, uirtute et fecunditate felici confirma. Deus Te seruet! Deus Te perpetuet! Seruet Te amor et gaudium ERNESTI AVGVSTI Tui: Seruet splendori et fecunditati domus Saxonicae. Perpetuet Te in sincera omnis fortunae possessione, in coniugio dulcissimo et diuturno, uitae usu longissimae, perennitate Tuae subolis. Viue laeta et felix, et bonis omnibus ad

coniugii iucunditatem et delectationem uitae cumulatissimis perfruere in amplexu Celliffimi Mariti Tui, quo nihil in ipso aetatis flore amabilius, nihil in amore et fide sanctius optare possis. Huius Principis consortium fit Tibi plenae perpetuaeque felicitatis communio, et quantum uirtutibus Tuis domum ornas Saxoniam, tantum ipsa e splendore et fortuna Mariti Tui capias gaudii et uoluptatis. Viue denique in subole et in posteritate Tua, et domui Saxonicae incrementum generis, Tibi immortalem gloriam para, ut ad omnem aeternitatem praediceris felicitatis mater, mater Tui populi, mater nouae profapiae Ducum Saxonorum, et altera e genere Guelfico Catharina. Tibi etiam, Serenissime ERNESTE AVGVSTE CONSTANTINE, Deus praesidia perpetuitatis Tuae confirmet, quae connubio Guelfico auspicate inuenisti. Tibi merito in publicam gratulationem effusi acclamanus: Deus Te seruet! Deus Te perpetuet! Constantinus Augustus, Imperator, in monumentis publicis olim Perpetuus dici promeruit, cum pacato imperio, deletis tyrannis, debellatis barbaris gentibus, firmata stirpe Imperatoria, Caesar felicissimus et optimi status auctor haberetur. Hoc nomen Deus proprium Tibi et perpetuum esse iubeat, AVGVSTE CONSTANTINE, ut in perpetuo augmento generis Tui, in perpetua fortunae constantia uere Augustus, uere Constantinus, uere Perpetuus dicaris. Perpetuus fit, quem feliciter iam auspicas es, principatus Tuus, ut prospera

spera ualitudine, florentibus opibus, florente dignitate, rebus ubique secundissimis utaris, nullamque earum commutationem, nisi in maius meliusque prouectarum, sentias. Perpetuum fit coniugium Tuum eminentissimum, ut nulla acerbitate fortunae turbetur, et in amore ANNAE AMALIAE Tuae castissimo stabilem cumulatissimamque percipias uoluptatem, habeas condimentum uitae, molestiarum solatium, praesidium fortunae, munimentum domus. Perpetuum denique ipsum Te uideas in generis Tui stabilitate, et in subole feliciter efflorescente, quae aeternitatem portendat domui Tuae, atque ut uiuam maiorum suorum imaginem, sic gloriam splendoremque domus Saxonicae orbi terrarum ad sera usque tempora repraesentet. Sed quanta Tibi ex hac spe posteritatis Tuae, Serenissime Dux, CAROLE, decus Principum Germaniae, amor et praesidium Tui populi, quanta, inquam, Tibi et Eminentissimae Tuae, Regiae stirpis, Coniugi PHILIPPINAE CAROLAE delicatissimi materia gaudii nunc subnascitur: quantum Tibi florentissimae senectutis Tuae solatium, Serenissima ANTONETTA AMALIA, tot liberorum nepotumque fulgentissimorum fortunatissima mater, cum Tua progenies in tot stirpibus eminentissimorum Principum felicissima ubertate succrescat et propagetur. Hoc scilicet debebatur Vestrae, Serenissime Dux, Celsissimae Principes, uirtuti et pietati, ut generis Vestri amplitudo, tot iam Regum et Principum familiis coniuncta, duplici etiam in domo

JA 14 1033



Saxonica ornamento splenderet. Deus huic
 Vestrae laetitiae et fortunae addat perpetuita-
 tem. Seruet et perpetuet Domum Vestram,
 efficiatque, ut, quantum alias gentes excel-
 sissimas suo fulcit sanguine, tantum ipsa sua
 magnitudine quam diuissime sustentetur. Flo-
 reat et inexhausta propagine ad omnem aeter-
 nitatem perennet domus Guelfica, amplifica-
 uirtute posterorum, gloria rerum illustris, exi-
 stimatione gentium felix, et nulla casuum acer-
 bitate, nulla temporum uicissitudine afflicta
 perpetua capiat incrementa generis splendoris-
 que sui, nouaque adeo semper habeat
 auspicia perpetuitatis



3
2
a
2
4
9
4
1
2
2
K
U
H
b
b
H
c
A
H
C
U
T
E
E

ULB Halle 3
005 358 884




W
1053

ORATIO PANEGYRICA
IN
AVGVSTVM CONNVBIVM
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
ERNESTI AVGVSTI
CONSTANTINI

DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE LANDGRAVII
THVRINGIAE MARCHIONIS MISNIAE PRINCIPALI
DIGNITATE COMITIS HENNEBERGIAE COMITIS
MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTAE
RAVENSTEINI CET

ET

SERENISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE
DOMINAE
ANNAE AMALIAE

DVCIS BRVNOVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS
CET

BRVNSVIGAE D' XVI MARTII A'R'S' MDCCLVI


RITE AVSPICATOQVE CELEBRATVM

PUBLICO NOMINE
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

OBSEQVENTISSIME DICTA

AB

IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO



Farbkarte #13

B.I.G.

